



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

III. De sagis. Ll. Sax. cap. 6. Iorn. cap. 11.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

is abundabit. Recolamus præterea quæ in hoc ipso minaciter scripta sunt libro: *Si decumas dare noluerimus, sola nobis remanente decima, nouem detrahentur partes.* Sermone etiam admonemur diuino terrenis cælestia, & caducis his nostris æterna illa promereri. Quandoquidem igitur audistis quid Dominus iubeat, quidque nos exequi debeamus, ea mihi vos tantummodo comparetis velim, quæ iuste ac legitime parare possitis. Neque enim mihi ad vitæ vsum quidquam iniuste acquiri cupiuerim. Etenim cum ea ego vobis lege vestra omnia benigne largitus sim, vt mea mihi vos itidem concedatis prospicitote sedulo, ne quis vestrum, neve eorum aliquis qui vobis paruerit, offensionem aut diuinam aut nostram concitetis.

Rex iusta tantum a subditis poscit.

Præpositi singuli singulos alant pauperes.

Ego Æthelstanus rex clare omnibus qui in ditione nostra sunt præpositis significo, me ex Vlfhelmæ archiepiscopi aliorumque episcoporum & seruorum Dei consilio, ad expianda peccata mea statuiffe, vt præfectorum quisque Anglum vnum (si quidem eiusmodi quis inter eos fuerit) cibo sustentet, si non fuerit, aliunde quæsito ad hunc modum victum subministret. Ex binis singulis villis meis quæque dantor mense, amphora farinæ vna, porci perna vna, aut quatuor denariis æstimandus aries, atque in singulos annos operimenta corporis. Libertate insuper mulctatum vnum aliquem pristina restituant libertati. Atque hæc omnia pro Dei in nos omnes misericordia, nostraque in eos beneuolentia, præsentis illius regionis episcopo funto. Quin si præpositorum quisquam hoc sciens prætermiserit, triginta mulctator solidis, eaque inter opidi illius, in quo fuerit hoc prætermisum, egentes præsentis episcopo mulcta distribuitor.

Et seruum liberent.

II.

Si quis ipsa triplicis ordalii sententia in fanum irrupisse conuincatur, is, prout in libro habetur iudiciali, compensato.

III.

Sagæ, mulieres barbara factitantes sacrificia, aut pestiferæ, si cui mortem intulerint, neque id inficiari poterint, capitis pœna esto. Sin omni se criminis suspitione liberare conantes, ipsa triplicis ordalii sententia in reas referantur, 120. dies in carcerem coniiciuntor: quibus peractis,

ANNO
 CHRISTI
 918.

120. solidorum numeratione earum eas cognati custodia liberanto, atque cognatis interfecti iustam capitis eius æstimationem pendunto. Illæ vero se id genus sceleris in posterum non perpetraturas esse fideiussores adhibento. Eadem habetor incendiariorum ratio, & eorum omnium qui a iuris seueritate prædones vindicare studuerint. Imo si quis furem liberare contenderit, et si quidem nemini vulnus imprefferit, regi tamen eo nomine 120. solidos numerato.

IV.

Præterea autem statuimus, vt vnus per omnem ditio- nem nostram atque idem sit nummus, eumque nemo ex- tra opidum cudito. Atqui si monetariorum quisquam nummos corruperit, ei manus scelere violata præciditor, atque nummaria conspicienda fabricæ affigitor. Sin num- mi adulterati postulatus aliquis criminis suspicionem di- luere voluerit, candentis ferri quæstione manum sceleris puram atque immunem ostendito. Quin si ipsa ordalii sententia reus extiterit, ita vti antea a nobis dictum est fiat.

Cantuariæ monetarii septem sunt, quorum quidem quatuor regi, duo præfuli, ac vnus cœnobiarchæ deserui- to. In ciuitate Roffensi tres sint: regis duo, tertius episco- pi. Londini sint monetarii octo, Vintoniæ sex, in vico Levvisio duo, in vico Aastingo vnus, Cicestris vnus sit, Hamtonæ duo, Vverhamiæ duo, Excestriæ totidem, Schafesbyriæ duo, ad aliud quodque opidum moneta- rius vnus esto.

V.

Qui se ordalii quæstione examinandum obtulerit, tri- duo quam id sit aggressurus, sacerdotem, vt is sacra de more peragat, adito, atque interim pane, sale, aqua, & oleribus tantummodo vescitor, Missæ præterea illis ipsis diebus interesto, munusque suum offerito. Sub ipso autem quo est ordalium ingressurus die, panem eucharisticum sumito, ac iureiurando se illius de quo appellatur sceleris purum minimeque conscium iurato. Tum si aqua gelida faciunda est quæstio, ad sesquiulnam funis in aquam mer- gitor. Sin ferro fiat cadenti, per continuûm triduum ob- signanda non resignetur manus. Accusator autem, quem-